

nostro carissimo regi Castelle et Legionis ejusque primogenito nato aut nascituro applicanda tanquam pro judicato, condempnato et confesso, et in ipsas penas si contra predicta nos aut primogenitus noster facerimus aut fecerit, confitemur nos et nostrum primogenitum ac judicamus incurrisse et tam de jure quam de facto totaliter incidisse, et nos ipsos, primogenitum, heredes et successores nostros, regnum et bona nostra heredum et successorum nostrorum presentia et futura pro premissis firmiter adimplendum, supposuimus ac supponimus coercioni et compulsioni camere Sedis apostolice, volumusque et consentimus quod ad majorem firmitatem predictorum omnium et singulorum litteras apostolicas et publicas super ipsis forciores et meliores dicto sapientum, forma non mutata, nos et dictus primogenitus noster natus aut nasciturus dicto fratri nostro carissimo regi Castelle et Legionis, filio primogenito nato aut nascituro sive primo regni heredi suis facere et concedere teneamur et eciam teneantur quociens per dictum regem Castelle fratrem nostrum carissimum sive primogenitum aut primum regni heredem suos, nos aut primogenitus noster fuerimus aut fuerit requisiti seu eciam requisitus.

In quorum omnium et singulorum predictorum testimonium, presentes nostras litteras magni nostri sigilli fecimus appensione communiri.

Datum Parisius, die sexta aprilis, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono et regni nostri sexto.

(*Sur le repli*): Duplicata, per regem in suo consilio.

T. Hocie.

(Scellé sur double queue de parchemin)
Archives Nat., J 603, n° 59 bis.

32

Grégoire XI annonce à Charles V l'arrivée de trois ambassadeurs castillans.

Avignon, 13 juin 1371.

Carissimo in Christo filio Karolo regi Francorum illustri, salutem, etc.....

Venerabilem fratrem nostrum Johannem episcopum Pacensem, cancellarium majorem et dilectos filios nobiles viros Johannem

Fernandi, camerarium primogeniti carissimi in Christo filii nostri Henricy regis Castelle et Legionis illustris necnon Leonem de Boccanegra, majorem capitaneum maris, ipsius regis ambaxiatores, pro parte sua ad nos destinatos, gratanter re[ce]pimus, et que super pace inter ipsum et carissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum regem Portugalie illustrem, optante Illo qui in sublimibus suis concordiam parat reformata, et eciam qualiter idem rex Castelle domum tuam Francie a Domino benedictam sicut se ipsum in pace et concordia hujusmodi inclusit et cum rege Portugalie confederavit, nolens aliter concordiam facere, retulerunt, letanter audivimus, videntes bonam intencionem regis Castelle quem magnitudinem tuam decet ea benivolencia sequi, ei generose rescribendo ut eciam tua dilectione firmatus, a te et dicta domo tua nequeat quavis occasione divelli. Ea propter, cum iidem ambaxiatores ad tuam accedant presenciam, excellenciam regiam nobis caram attente rogamus quatinus ambaxiatores ipsos benigne recipias et regalis favore benignitatis eciam mittentis et tui honoris intuitu prosequaris, ita quod proinde apud Deum et homines humane laudis attolli preconio merearis.

Datum Avinione, idibus junii, anno primo.

Reg. Vat., 263, f° LXI recto.

33

*Jean I^{er} confirme et jure d'observer les conventions
passées avec la France le 2 avril 1381.*

Ségovie, 23 novembre 1386.

Johannes Dei gracia rex Castelle, Legionis et Portugalie, universis et singulis has nostras litteras inspecturis, tam presentibus quam futuris, notum facimus et testamur, quod cum olim eterni Regis providencia disponente, inter serenissimos principes clare memorie Carolum regem quondam Francorum et ejusdem memorie dominum dominum Henricum quondam Castelle et Legionis regem, genitorem nostrum, ordinate, concepte, inite et firmate fuissent certe lige, confederaciones, composiciones, convenciones et pacta ad exterminium malorum et utriusque reipublice pacificum incrementum, nos post obitum dicti clare recordacionis domini genitoris nostri, qui sicut eidem in regni cura et gubernacione successimus,